3

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
HYDROPHOBIA:

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI,

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET
NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO,

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES HOOPER,
ANGLO-BRITANNUS,
CHIRURGUS;
SOCIETAT. REGIAE MEDICAE EDINENSIS SOCIUS.

"Nulla remedia tam faciunt dolorem,
"quam quae sunt salutaria."—CICERO.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:
EXCUDEBAT JOANNES MOIR.
1821.

PATRI SUO DILECTISSIMO

THOMÆ HILL HOOPER,

ARMIGERO, DE CHATHAM,

HASCE STUDIORUM

IN MEDICINA PRIMITIAS

TENUE ET PEREXIGUUM SANE SINCERI AMORIS

MONUMENTUM

EA QUA DECET PIETATE,

ANIMOQUE GRATISSIMO

CONSECRAT

FILIUS AUCTOR.

GEORGIO JACOBO BRYANT,

ARMIGERO, DE CHATHAM,

COLLEGII REGII CHIRURGORUM LONDINENSIS SOCIO,

VIRO

NON SOLUM OB INSIGNEM VITÆ PROBITATEM

OMNIBUS ORNATÆ VIRTUTIBUS,

SED ETIAM PROPTER MULTA ET MAGNA

BENEFICIA IN SE COLLATA,

NUNQUAM OBLIVISCENDA,

SIBI JURE CARISSIMO;

HOC OPUSCULUM,

ANIMI HAUD INGRATI,

TESTIMONIUM UTCUNQUE LEVE

LUBENTISSIME DICAT

AMICUS FIDELIS

ET

AUCTOR,

JOANNES HOOPER.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
HYDROPHOBIA.

AUCTORE JOANNE HOOPER.

PROŒMIUM.

Studiorum curriculo meorum, quale in scientiam medicam incumbentibus praescriptum est, jam pene absoluto, hujus academiae celeberrimae institutis parens, libenter quidem, utcumque paratus, tentamentum hujuscemodi scriptorium aggredior, nimirum quod summorum medicinae honorum petitori obeundum obvenit.

Materiam tentaminis mei rabiem caninam elegi, quippe cujus exemplum, licet jam tum in re medica tyro, vidissem, illudque

publicare, tanquam omnium cognitione dignissimum, non sine magna voluptate vellem, et revera hoc fecissem, nisi chirurgus, cui hoc exemplum curae erat, spes meas, de eodem mihi referendo, non immerito conceptas delusisset. Medicis sane vitio vertendum est, siqui commentarium componere negligant morborum, qui minime saepe conspiciendos se praebent, qualis est rabies canina, malum tam rarissimum, tum quoque in paucis horrendum.

De quo quae mihi exaranda videbuntur, in haec capita dividam, quae sunt,

I. Morbi Historia.

II. Ejusdem Definitio.

III. De signis mali, quae in hominibus observata sunt.

IV. De causis quae canes huic morbo obnoxios reddunt.

V. De Indiciis quae in canibus apparent.

VI. De specie morbida in cadaveribus sectis exhibita.

VII. Ratio Medendi.

HISTORIA MORBI.

De hujus morbi historia parum inter auctores vel antiquos vel recentes convenit: maxime verisimile est, ejus originem esse antiquiorem ulla historia, quam nobis medicorum scripta suppeditarunt.

Coelius Aurelianus sub judice litem fuisse, an morbus novus Rabies canina sit, dicit; eam enim ab Hippocrate non observatam; sed quia Hippocrates hunc morbum non commemoravit, eum omnino ignoratum ab illo inferre non possumus; qui, ut maxime verisimile est, nunquam vidit ejusdem exemplum, eaque exempla de quibus tempestate sua acceperat, credere noluit. Medicorum hodiernorum alii ejusmodi morbum non esse putare videntur: Doctor Parry se disputationi longae, aliquot annis antea, interfuisse in conventu quodam, retulit; ubi deliberantium major ejusmodi nullum morbum unquam extitisse, tandem in sententiam con-

cessit. Celsus morbum cognovisse videtur, licet ejusdem signa singulatim non recenseat, tamen sanationis rationis quasdam praescribit, aptas cùm aliquis canê rabiosô morsus sit; nempè cucurbitulâ vulneris virus extrahendum esse, deinde sententiam suam sic expremit:

"Si locus neque nervosus, neque musculosus, vulnus id adurendum est; si uri non potest, sanguinem homini mitti non alienum est.

"Quidam post rabiosi canis morsum protinus in balneum mittunt; ibique patiuntur desudare, dum vires corporis sinunt, vulnere adaperto, quo magis ex eo quoque virus distillet: deinde multo meracoque vino excipiunt."

Si aeger hoc modo per triduum post vulnus inflictum tractatus esset, Celsus tutum esse eum a periculo putavit. Hic morbus saepius obvenisse postquam ante Celsi

tempus apparet; indiciis ejus plenius descriptis, ab his scriptoribus antiquis, qui sequente tempore floruerunt; qui non tantum indicia exposuerunt, sed eorundem causam aliquorum investigare conati sunt. Alii nimirum (ut Ætius notat) aquae formidinem oriri ex hac causa dixerunt; quod aeger canis rabiosi effigiem cernere in aqua, sibi videtur; qui se momorderat. Idem auctor, philosophi cujusdam casum narravit, qui generoso animo contra malum pugnavit, qui cum se videre canem in aqua balnei imaginatus est, tunc secum ratiocinatus, dixit, quid cani et balneo commune est? hoc modo morbum, postquam aquam bibisset sine metu, vicit. Paulus Ægineta alios putare aquae formidinem provenire corporis siccitate, ait; et illos hoc explicare, ratione humidae aegrotantium essentiae penitus immutatae, conari. Rabiei signa in canibus apte adeo ab illo describi videntur, ut haec exscribendi, a Graeco in sermonem Latinum versa, veniam rogem.

"Rabiosi vero facti canes et cibum et "potum adversantur, et sitiunt quidem ve- "hementer, potum autem non admittunt: "et plerumque anhelant, et aures demittunt, "et salivam largam ac spumosam emit- "tunt, ut muti in totum sunt, adeoqùe ve- "lut desipientes, ut neque familiares cog- "noscant. Invadunt itaque omnes sine la- "tratu, similiter et feras et homines, et mor- "dent."

Medici antiqui remedia valde miranda in hoc morbo praescribere solebant, qualia sunt canis rabiosi jecur, vel lien, aegro, vel decocti forma, sumenda, vel incocta edenda; vel etiam ejusdem animalis caput aqua fervente confectum commendatum est. Glandulae parvae sub lingua quas vermiculos esse existimabant, ut circa aegri collum suspenderentur, exscissae sunt; hoc quasi incantamentum in sanationem efficiendo valere putabant; decoctum sylviae ex argenteo poculo quotidiè bibitum est, tanquam si vas argen-

teum ad morbum sanandum nonnihil adjuvaret.

Multis modis hoc venenum dictum est, inficere humanum genus; ut rabidorum animalium morsu; et forte tam exquisite contagiosum est, ut ille ad morbum inducendum sufficiat, cutem interdum perstringi, malumque sequi, sanguine etiam vulnus non sequente, aliqui tradiderunt. Spiritu in pulmones recepto, et fortasse cum pauxillo salivae commisto, idem productum est. Sputo ex canis rabiosi ore ad labia hominis admoto, mali inde geniti exemplum primum, AURELIANUS observavit, quod jam referam.

" Sartrix etiam quaedam quum chlami-
" dem scissam rabidis morsibus, sarciendam
" sumeret, atque ore stamina componeret,
" et lingua pannorum suturas lamberet as-
" suendo, quò transitum acus faceret facili-
" orem tertia die in rabiem venisse memo-
" ratur."

Aliud exemplum, jam commemorato simile, HILDANUS in scripta Epistola ad Doctorem ROSCUUM Lausanniensem, amicum suum, narravit, fidemque suam, veritate facti hujus oppigneravit. Alia exempla Doctor HAMILTON in libro suo notavit. De hoc morbo Theoriae duae extiterunt; quarum una asserit, malum irritatione nec solum in nervis partis affectae, sed etiam in tendinibus se jactare; totum genus nervosum inde fibrasque moventes per consensum partium affici, nec veneno introducto in circuitum sanguinis, nec cum humorum flumine communicato. Altera, vasa absorbentia ebibere salivam virosam, in vulnus immissam, eamque convehere cum sanguinis penu universo miscendam, hoc modo secundario, virus morbum propagans, nervos corrumpere. Inter eos qui primam rationem adoptarunt, nonnullos scriptores non parum egregios, nempe Doctores PERCIVAL, RUSH, MEASE, et DARWIN, recenseamus licet; Doctor PERCIVAL, nos toxici canini dotes peculiares, modum quo communicatur, par-

tesque corporis animalis ab illo affectas, ignorare, dicit ; ergone licet nobis (inquit ille) vel unum gradum ultra conjecturam, super hac re, progredi ? Doctor Rush, rabiem caninam, similem quodammodo existere tetano, arbitratur. Doctor Mease ex argumentis suis conficit, morbum ex statu morboso nervorum irritabilique, nec aliter ac in tetano accidit, oriri ; quaedam probationes ad hanc doctrinam stabiliendam ab eo effectae, sunt visus hebetudo, membrorum torpor, nervorum resolutio, expedita post mortem corporis corruptio, qualia in Tetano videntur ; haec indicia sufficere, quae absorbendi veneni omnem rationem excludant, ille putat. Verum est quod Doctor Percival annotat, nos adhuc nescire quae sit natura viri canini propria, et quas partes corporis animalis potissimum afficiat ; atque profecto dolendum est corpora mortuorum dissecta ad vim latentem hujus morbi in apricum proferendam, ut postea ostendetur, nihil fere contulisse.

Doctor Darwin, Tendines tantum esse affectos opinabatur; si hanc rationem recipiamus; perdifficile explicare erit, cur morbus, cum musculus longe ex parte sui inserta, vel tela cellulosa morsus sit, inducatur; et praecipue, cum ex canis ore saliva fluens cuti hominis applicata sit; ut in exemplis accidit, de quibus supra mentionem feci.

De absorbendo veneno doctrina maxime plausibilis mihi videtur, primum quia morbus ex uno animali cum altero, spiritu vel levissima incisura, et e cane rabioso cum homine eodem modo, communicetur. Ergo venenum in animalium sanguinem recipiatur, oportet; vel quomodo malum, ex horum animalium morsu, gigni posset?

Secundo, quia si irritatione ortus sit, signa magis subita in prima ipsorum aggressione, essent: nec quomodo medicus ille expertus et observandi peritus videret ullam in Rabie Canina similitudinem Tetani, dicere queo; namque illa musculorum rigiditatem

spasticam, pariter ac hic, non habet; nec convulsiones, nec delirium, nec organi respirationis spasmi in hoc, adsunt, cum humores in faucium contactum veniunt; quamvis hoc morbo laborantes, levi aquae formidine, vexati sint.

DEFINITIO MORBI.

Potionis cujuslibet, utpote convulsionem pharyngis dolentem cientis, fastidium et horror; plerumque e morsu animalis rabidi.

DE SIGNIS QUAE IN HOMINIBUS CONSPICIUNTUR.

Postquam hoc venenum in corpus humanum absorptum fuit, et in eo per aliquod tempus latuit, quod quidem, in diversis hominibus diversum est, dolor partis, qua virus erat receptum, lymphaticorum tractum sequens, primum indicium apparet; exinde aegri sequitur lassitudo torpentis et inertis; turbatur somnus; terribilia exagitant insomnia, imagine ludente domus ardentis, vel latronum eam invadentium. Organa externa nimis sentiunt, ita ut omne, quod percipitur, molestiam inferat. Cibi appetitus deficit: tamen solida multo facilius quam liquida ore sumuntur; arteriarum pulsus,

parvus, frequens, tremulus, et interdum abnormis fit; cor palpitat insigniter; tremores et convulsiones validae subeunt. Postea aegrotantes de anxietate conqueruntur; et nunc aquae vel aliorum liquorum pavor, et cujusque rei pellucidae, veluti speculi, vel poculi vitrei, taliumque supervenit. Urethrae titillationes insolitae cum seminis praeter voluntatem emissione perturbant: et urina propter spasmos, impetu insueto ejicitur; penis et scroti contractiones valde cruciant; saliva viscida ore effluit; jamque supervenit curriculum tertium et supremum, in quo signa omnia jam memorata augescunt; omnes liquores prae horrore recusantur; lingua fit aspera; et spumosae salivae magna copia intra os colligitur, manus pedesque evadunt frigidi, ab aliis aeger mordendi desiderio teneri dictus est, quod, alii negaverunt. In eo exemplo, quod, ego vidi, et in his paginis descripturus essem, puellae mater hydrophobiae conflictantis, aegram per accessionem mordere adortam fuisse, memoravit: sed accessione jam cessante,

adstantes admonitos voluisse, ut se intervallo satis magno amoverent, ne eos ipsa morderet.

Spatium temporis ex hujus morbi primo initio usque ad mortem, a triginta horis, ad quatuor vel quinque dies durando variat.

DE CAUSIS, QUÆ CANES HUIC MORBO OPPORTUNOS REDDUNT.

MIRANDAE hujus aegrotationis in canibus, causae perobscurae adhuc esse videntur, de quibus, nil ferme nisi conjecturam habemus, seu morbus nulla causa externa evidente interdum nascatur, seu contagione, eodem modo ac variola, in genere humano, propagetur, non cognoscimus.

Causae autem quae talem proclivitatem gignunt, hae dicuntur esse: primo, aestus ingens, et diuturnus, frigus etiam vehemens, et diutius admotum, ad idem conferre traditum est; Aetii et Dioscoridis haec sententia fuit.

" Rabiunt canes plerumque in vehemen-
" tioribus aestibus, verum (ut LYCUS ait,)
" quandoque etiam in intentis frigoribus.'

Secundo, Diaeta putrida; tertio aquae inopia: quarto, vermiculi in cerebro, vel naris, intestinorum, renumque, cavis: et postremo, exercitationis idoneae defectus: Doctor JOANNES HUNTER, ne unum quidem in insula Jamaicae aestuosa, ubi canes numero sunt plurimi, per annos quadraginta rabie correptum fuisse, memorat. Viatores, morbum in Egypto nunquam se manifestare vel inter homines, canesve observaverunt.

Animadvertendum est praeterea canem, ex istis animalibus esse, quibus natura cutis meatus et foramina parum dedit; atque idcirco sudorem non per cutem e corpore, ut in aliis animalibus, eliminari posse, sed omnem a pulmonibus efflari. Inde hoc ex parte conferet, ut videtur, ad humores reddendas acriores solito, adeo ut aliis causis adjectis, et febre sui generis orta, venenum exinde genitum sit omni animantium generi lethale, attamen, quantum ego novi, ab auctore nullo causae a quibus hic morbus reve-

ra in canibus ortum ducit, satis luculenter hactenus explicatae sunt.

DE SIGNIS QUÆ IN CANE RABIDO CONSPICIUNTUR.

Primo morbi curriculo, canis, aversum sumendo cibo se commonstrat, interdum appositum, sed nullo fere in eum appetitu propendente, manducat: neque tantopere lascivus, nec ludibundus, quantopere esse solebat, jam videtur: quamvis magistrum suum cognoscat, ejusque vocationi obediat, veruntamen ei, ut olim mos erat, minime adulatur.

Secundo, Infelix animal moestum fit, aliorum canum societatem fugit, non amplius latrat, sed murmura edit, advenas adoritur; aures et caudam demittit; obtusa acie hebetes fiunt oculi; paucis deinceps elapsis diebus, anhelat. Tertio, canes alios non, ut curriculo secundo solebat, effugit, sed omnia

animalia quibus obvenit, morsu invadit; domo discedit; recta procurrit; saliva ejus ore magna quantitate effluit. Quidam auctor, morbum hunc, admodum, alium esse in hominibus ac in cane, scripsit; quippe in quo, aquae nullus timor sit, quem liquida lambere, et accessiones, et intervalla, pariter ac homines habere, idem notavit. Alii scriptores, canes, rabie affectos ad liquida devoranda valde propensos esse narrant: quin et hos adeo liquorum avidos, ut suam etiam urinam liguriant, quidam asserere non dubitat.

Indiciis conspectis, ab aliis facile hic morbus distinguitur, et quandocunque canis observatur signa hujus morbi ostendere quaedam, semper ligari debet, dum de eventu certiores fiamus; ad hoc quidem breve tempus sufficiet; atque canem, suspicionis causa solius, occidere crudele est: Primo enim dubitandum an canis fuerit rabidus an non; et si aliquis ab eo morsum acceperit; aderit in futurum terror, ne rabies insecutura

sit, et universos lacessent, vel horrores, quos periculum incertum, vel ingens solicitudo, quam dubitatio adferre solet.

SIGNA QUAE INCISIS CADAVERIBUS, IN CONSPECTUM VENIUNT.

DEVORANDI organa statu inflammationis inveniri, dicuntur; vesicula fellis, nigra bili impleta; materia biliosa et glutinosa in ventriculo conspicitur: Pericardium, valde siccatum comparet; pulmonum cellulae sanguine penè oppletae; cor arteriaeque sanguine propè arido, distensa sunt; sed venae vacuae observantur; musculi, viscera, medulla spinalis, et cerebellum, omnia praeter naturam arida existunt. Cadavera incisa, morborum causas et sedes indagantibus, multum cognitionis utilis obtulerunt; in hoc autem morbo non multum conferunt; revera, aspectum morbosum in cadaveribus non semper oculis subjectum esse, memoratum est. Doctor PARRY ge-

nerosi juvenis historiam retulit, qui, hydrophobia ex canis rabidosi morsu mortuus est, in qua omnia hujus morbi signa ordine solita occurrerunt; in cadavere cerebri, medullae oblongatae, Laryngis, Tracheae, Pulmonum, Cordis, Pericardii, Pharyngis, Æsophagi, Ventriculi, Intestinorum, Jecinoris, Lienis, Renum, et Vesiculae fellis, partes omnes, accurate examinatae sunt, sed nulla effusio vel e statu sano ulla mutatio observata est.

RATIO MEDENDI.

HAEC revera caligine atra obtegitur: Medicamento nullo adhuc curari hunc morbum videri, dolendum est: quem adoritur, cito fatis succumbit; etiam quamvis omne remedium, quod vel ratio excogitavit, vel experientia commendavit adhibitum fuerit. In hoc malo quidem duo sanandi consilia indicantur; nempe venenum ne absorbeatur, praevertere.

Secundo, ejus effecta noxia, cum jam in corpus humanum introductum sit, impedire. Cujuscunque aevi scriptores in hanc sententiam ierunt, imprimis oportere, malis quae ex rabidi animalis morsu sequi solent, ante signa hydrophobiae se ostendentia, obviam ire; idcirco primum nostrum consi-

lium optimè perficitur, resecando, partem illam cui morsus inflictus est, tali negotio convenit scalpellum, incisio profunda debet esse, et latior, ne ulla veneni pars fortasse supersit in homine, quod ad tempus, quo pars morsa feliciter excidatur, parum constat, licet plurimi opinentùr quodvis tempus ante Hydrophobiam inchoatam, idoneum esse: quinetiam pars affecta excidi potest; postquam morbus inceperit, praesertim si virus in parte tantum singulari corporis saeviat; quod occidere, nonnullis placuit, si causa aliqua vel incuria Hydrophobia accédere sinatur, mors fere inevitabilis superventura est. Illustrissimus CULLEN, a cujus ingenio et industria scientia medica tot beneficia tantaque accepit, de hoc morbo disserens, in hunc modum sensa sua expressit:

" I am, in the first place, firmly persuad-
" ed, that the most certain means of pre-
" venting the consequences of the bite is to
" cut out, or otherwise to destroy the part

" in which the bite has been made. In this " every body agrees; but with this differ- " ence, that some are of opinion that it can " only be effectual when it is done very " soon after the wound has been made, and " they therefore neglect it when this op- " portunity has been missed; there have " been, however, no experiments made pro- " per to determine this matter; and there " are many considerations which lead me " to think that the poison is not immediate- " ly communicated to the system; and, " therefore, that this measure of destroying " the part may be practised with advantage " even many days after the bite has been " given."

Caustica remedia parti affectae applicanda, praescripta fuere, eandem vero exscindi, his praeferendum existimo.

Concilium secundum, rarissime si unquam impletur, sed nonnulla remedia, specialia dicta, a quibusdam magni nominis

scriptoribus insigni laude commendata fuerunt; horum primum obveni id medicamentum, quod a vico Ormskirk nomen accepit: ejus compositio ab Doctore HEYSHAM ex creta, alumine, bolo armeno, cum paucis guttis olei anisi constare detecta fuit. Antiphlogistica diaeta, et hydrargyri praeparata contra hoc malum, praescripta sunt. Acetum multum usurpatum est; atque ut dicitur, curatio per usum hujus liberalem effecta fuit. Oleum olivae in pauculis exemplis morbum sanasse fertur; timorem aquae, proportione olei assumpti sedari perbibent. Idem extrinsecus quoque exhiberi potest.

De arsenico caeterisque quae frustra hactenus tentata sunt, disserere supervacaneum judico.

FINIS.